



AD ILLVSTRISSIMVM DO-
MINVM, DN. IOANNEM DE ZAMOSCIO:
Regni Poloniæ Cancellarium supremum, & Ex-
ercituum Generalem, &c.

DE RANA ET LACERTA SVC-
CINO BORVSSIACO INSITIS.



DANIELIS HERMANNI BORVSSI
Discursus Philosophicus.

EIVSDEM DE CERTAMINE INTER
Vrsum & Aprum, Carmen.



Rigæ Livonum,
Typis NICOLAI MOLLINÆ.

Anno M. DC. C.

IN RANAM ET LACERTAM

Succino inclusas.

ANTONIVS QUÆRINGVS PATAVINVS.

Artificis fabricata manu simulachra latentis,
Ore loquax tacito Ranæ spirantis imago,
Tuq; sub angusto præclusam carcere vitam
Faucibus efflantis, species miranda Lacertæ,
Dicite, quis tanto lætæ vos munere sortis
Demeruit? fragili vt spolio membrisque; caducis
Exemptas rutilo Electri concluderet orbe?
Nunquid vbi in glaciem solidam se fluxilis humor
Cogeret, & gelida ponti concrederet vnda
Deuinxit lento interceptas glutine casus?
An potius Natura parens, vt nobile Paulo
Exprimeret donum Iasço, primordia rerum
Miscuit, & viuis animauit Succina formis?
Quicquid in effigiem vestros hanc transtulit artus,
Fortunatæ ambæ, quibus ipsa in morte perennem
Insigni vitam licuit reparare sepulchro.

Sed mage felices tanti quod sede receptas
Hospitis, æterno vos dulcia Carmina cantu
HERMANNI decorant famæ immortalis honore.

Romæ fac. Anno 1583.



ILLVSTRISSIMO DOMINO: Dñ. IO.
ANNI ZAMOYSKI DE ZAMOSCIO: REGNI
Poloniae Cancellario supremo, & Exercituum Generali, Belzensi, Ma-
riaburgensi, Dorpatensi, Cnyfsinensi, Miedzyrecensi, Grode-
censi, Iauorouienſiq; , &c. Capitaneo.



*L*lustriſſime Domine: Poſt re-
cuperatam per Sereniſſimum olim
Principem D. Stephanum Regem
Poloniae, Anno octuageſimo ſe-
cundo, prouinciam Liuoniam,
contuleram me ad Comitiam Re-
gni Varſauiam: Et inde ſolutis
Comitijs ſub initium Anni octuageſimi tertij Regem
Craconiam uſq; ſecutus fui. Ibi cum Rex propter
Tartaros irruptionem eo tempore in Ruſſiam mini-
tantes, Et Nuncios Transyluanicos audiendos magni-
tudine negociorum publicorum ita occupatus eſſet, ut
nihil ferè priuatarum rerum proponi potuerit, do-
nec prius Rex Ill^mam. Cels. v. contra Tartaros expedi-
uiſſet, Nuncios etiam Transyluanicos dimiſiſſet, ne
mibi tunc tempus fruſtra tereretur, in Ranam Et La-
certam Succino Pruſſiaco oblitus, Et non multò ante
apud quendam Conſulem Gedanen. Paulum Iaſcum
uiſas, ingenij mei exigui ſpeculationes defixas habui.

Editus igitur fuit Craconia, de origine Et natura
Succini, Et de opinionibus, quomodo animalcula va-
ria Succino inſita eſſe videantur, Diſcurſus quidam

meus Philosophicus: cuius lectionem omnibus doctis, tam in Regno Polonia, quàm extra Regnum placuisse, ex varijs clarissimorum virorum ad me datis literis, postea intellexi.

Ante omnia tamen magna voluptate me affecit, unicum Ill. Cels. vestra iudicium, dum mirifice sese eo scripto delectatam fuisse mihi aliquoties retulit: Et Lucretianum appellavit.

Porro Rana illa Et Lacerta Carmine à me celebrata, Et Typis Cracouiensibus in publicum divulgata, ita deinde diuersas terrarum regiones peragrarunt, ut etiam intra Roma mœnia peruenerint, ubi eas Cl. vir, Antonius Queringus Patauinus, summi Pontificis olim Gregorij XIII. Secretarius, lepido Et arguto Epigrammate, quod huic Præfationi præmittendum duxi, ornauit.

Deficientibus tandem Exemplis Cracouia impressis, Cl. Et doctiss. vir Laurentius Scholzius, Medicina Et Philosophia Doctor, Et rerum naturalium indagator solertissimus, tum Et Horti celeberrimi, apud Vratislauenſes à se instituti, omniq; genere herbarum Et plantarum exculti, alter Alcinous, recudi in Germania eandem lucubratiunculam meam de Rana Et Lacerta curauit: extatq; ea inserta Medici olim Cæsarei eximij, Joannis Cratonis à Crafftheim Opusculis, in quibus de generibus Succini quadam tractantur.

Cum

Cum itaq; reptilia illa vilissima, Lucretiana qua-
dam veste à me ornata, passim inclaruerint, & pri-
mum in inelyto Polonia Regno, deinde in Transylua-
nia & vicina Hungaria, nec non in Italia & Ger-
mania fuerint, visum est eadem denuò Typis Rigen-
sibus recusa, Ill. m. Cels. vestra Zamoscium quoq; mit-
tere, ut ibi in Russia, nobilissima Regni Polonia pro-
uincia, & multa maxima ingenia producente, magis
magisq; innotescant.

Ad hoc institutum meum inuitauit me insignis Ill.
Cels. v. erga me beneuolentia, quam & antea semper,
& anno ab hinc sesquialtero in arce Zamosciana,
cum illuc negotiorum quorundam Ill. & Mag. Do-
mini Georgij Farensbach, Palatini Venden-
sis etc. nomine expediendorum, missus fuisssem, sum expertus: cu-
ius temporis recordatio adhuc me oblectat.

Nam cum sepe (quoties Ill. Cels. vestra respirare ab
occupationibus licuit) varijs colloquijs eruditae ani-
mi recrearentur, recordor Ill. Cels. v. sponte sua non
modo Ranae meae Succinae mentionem inieciisse, sed et-
iam presentibus multis magnis viris à me postulasse,
ut partem aliquam versuum, quotquot memoria tene-
rem, recitarem.

Recitavi, idemq; Ill. Cels. v. iudicium, quod &
ante annos complures fuit, repetitum audiui. Quic-
quid est, sufficit mihi, quod Ill. Cels. v. placuisse sem-
per, & adhuc placere intelligam.

Mitto igitur recusum illud Poëma meū Ill. Cels. v.
nomini inscriptum, quod ante annos septemdecim Il-
lustrissimo Transylvania Principi fuerit dedicatum.

Neq; obstat unam eandemq; materiam, pluribus
patronis interdum diuerso tempore dedicari: ut inter
diuersa legentium iudicia, vel unum aliquod emineat,
quod ceteris anteponatur: vel appareat, omnium
iudicia inter se concordare.

Catullus cultissimus sui seculi Poëta, nulli maluit
Poëmata sua dedicare, quam ipsi, cui grata esse sciebat,
Nepoti Cornelio. Ad eius morem me compono: Et
dedicatorijs eiusdem paucis phalacijs numeris, Ill.
Cels. v. mutato saltem Cornelij nomine, alloquor.

Cui dono lepidum nouum libellum,
Arida modò pumice expositum,
Zamosci? Tibi: namq; tu solebas,
Meas esse aliquid putare nugas.

Rogo igitur Ill. Cels. v. ut hoc, te de nouò retexta
munusculum meum, ea qua me hætenus prosequi con-
suevit, accipiat beneuolentia: Et ambabus (quod
aiunt) amplectatur manibus.

Commendauerat olim Ill^{ma}. Cels. v. Regi Stephano,
libros Stephaneidos mea priores, scriptos de Bello con-
tra Moschum prorecuperanda Liuonia gesto: cui in-
tersuisse me Et seruijsse toto triennio, Ill^{ma}. Cels. v.
benignè recordatur.

Atq; ea sanè commendatio, tantū habuit tunc pon-
dus

Aus, ut *Sanimum* Regis expertus fuerim in me propensissimū, & me regia afficientem liberalitate: quam sine dubio maiorem percepturus fuisset, si *Fata* diu-
tius Regem illum viuere voluissent.

Sed quia *Illma. Cels. v.* non modo testimonium perhibere potest, de seruitijs meis ante recuperatam *Liouoniam* D. Regi *Stephano* prestitis: sed etiam post recuperatam hanc prouinciam, gubernante eam ante annos complures Locum tenete tunc Regio, *Illustrissimo* & *Reuerendissimo* Principe ac Domino, Dn. *Georgio* Cardinale *Radziuulo* etc. Domino meo clementissimo, operam meā in negocijs publicis nauasse me, *Illam. & Rma. Cels. sua*, non ignotum est: A tempore autem *Electi* & *Coronati* *Serenissimi* ac *potentissimi* Principis, *Sigismundi* tertij, moderni Regis & Domini nostri clementissimi, *Illustris* & *Mag. Dn. Georgius* *Farensbach*, *Palatinus* *Vendensis*, *militia*, *Liouonica* *Nobilitatis*, *Bellicus* *Præfectus* etc. officijs meis paratissimis, per aliquot annorū spacia in *Reg. Mtis.* negocijs expediendis vsus est, earum rerum omnium rationem habitum iri non dubito: & de *Reg. Mtis* in me clementia & benignitate optima mihi polliceor.

Post tot labores & molestias exantlatas, quas reliqua vita mea sustinere amplius vix potest, existimo me posse inter eos numerari, quibus tanquam defatigatis, exhaustis, & emeritis, prouideri aliquo modo
se-

solet, ut residuum vite curriculum Deo & Musis
maiore cura tribuant.

De opusculis meis, florentiore auro meo scriptis, Aca-
demicis scilicet, Aulicis, et Bellicis, in publicum eden-
dis, iam à longo tempore fui sollicitus. Sed infelicia
tempora, & impedimenta varia, ultimam limam ijs
imponere hucusq; prohibuerunt. Prodebunt tamen
illa suo tempore.

Interim Ill. Cels. v. hæc duo, Rana & Lacerta, me-
morabilia monimēta, in duobus Succini pellucidis fru-
stis apparentia, à me descripta, quibus etiam certamen
inter Ursum & Aprum, lectu non iniucundum, ad-
iungo, benigne legat.

Vidi apud Ill. Cels. v. Trinummi Plauti, à Czecli-
nio Reg. Mtis Secretario in Polonicam linguam con-
uersum, tam appositè, tam eleganter, ut si Plautus ipse
nunc viueret, mallet hæc Polonica toga quàm Roma-
na indutus ab omnibus conspici. Epigrammata verò
ab illustribus & generosis Ostrorogio, Herborto, Si-
monide, & alijs simili lingua Polonica Trinummo illi
Plautino præmissa, tantam habent inuentionis subti-
litate, & in delectu verborum neruum, ut cum
omni antiquitate certare videantur. Habuit Russia
semper aliquos magno ingenio, & acutissimo iudicio
peditos viros, inter quos olim etiam claruit Stanisla-
us ille Orzechouius, Chymera Stancarica oppugnator
acer-

acerrimus. Et nostra memoria, quid Kochanouio nobilissimo Poëta Polono deest, ut in sua innata lingua cum Marone, Horatio, & Martiale in omni genere versuum comparari non possit? Plures omitto: optarem autem aliquos esse, qui in hoc meo argumento, de Rana in Succino apparente, ingenij sui vires exercere vellet. Quod reliquum est, commendo me Ill. Cels. v. favori, in eoq; conservari submisè peto.

Data Riga circa auspiciū noui Anni 1600, quem Ill. Cels. vestrae eiusdemq; dilectissimæ Coniugi, & filio Thome, in patrias virtutes crescenti, deniq; toti domui Zimoscianaæ faustum ac felicem precor.

Illustrissimæ Cels. vestrae

addictissimus seruator

Daniel Hermānnus.



B

DE



DE

DE RANA ET LACERTA,
SVCCINO PRVSSIACO INSITIS.



Insitam in Electro Ranã, tremulãq; Lacertam,
(Quæ Iascus Gedani monumenta insignia seruat,
Digna Monarcha aliquo, & totum memoranda per orbem)
Fert animus celebrare. Veni nunc dexter Apollo,
Dum mihi Naturæ canitur mirabilis ordo.

Nam quis fortuitus parua ô reptilia casus,
Intrare hæc quondam pellucida Succina iussit,
Has intrare domos? Facile olim intrastis in illas,
Sed reuocare gradum, superasq; euadere in auras,
Vos vetuit natura isti mira insita Naphtæ,
In qua vestra manent æternùm corpora clausa,
Quæ nec putredo absumit, nec longa vetustas:
Tantum robur inest huic Naphtæ, tantaq; virtus.

Aspicias, vt stet adhuc illæso corpore Rana?
Rana gerens viridem ceu nuper nata colorem.
Vt pedibus distenta est? vt toruumq; tuetur
Lumine distorto? & saltum velut vsq; minatur,
Et quasi contendit patulas exire sub auras.
Abnegat Electri massa indurata regressum.

Frustrò alio exiguos tremebunda Lacerta lacertos
Nequicquam extendit, sinuatq; volumina caudæ

Descriptio
Ranæ Succin-
no insitæ.

Descriptio
Lacertæ Suc-
cino insitæ.

DE RANA ET LACERTA:

Tortilis: & squamæ apparent per terga minuta:
 Et parui unguiculi: deformes pandit hiatus
 Os, in agone olim luctaq; in mortis apertum,
 Quando animã euomuit crebris singulibus actam:
 Sanguinis hinc sparsi vestigia viua supersunt.
 Heu misera, vt voluit caueam euitare futuram?
 Suauis odor pinguis terræ penetrare caueas
 Impulit: hinc illam liquido implicuitq; Electro.
 Vix ambas melius Couis depingat Apelles:
 Viua repræsentant sic viui membra colores.

Epiphonema
 pro tumulo
 Rana & La-
 certe.

Fœlices ambæ: atq; æterno nomine claræ:
 Quas talis succus tumba tumulauit odora.
 Nobilius nullum poterant reperire sepulchrum.

Varie de o-
 rigine Succu-
 ni Poëtarum
 opiniones:
 sed vanæ.

Hunc ego non dicam manare ex arbore succum,
 Aut maris è spuma, Heliadum lachrymisuè gelatis,
 Eaq; alijs causis, multorum somnia vatum,
 Quas passim memorant: majori indagine digna
 Res ea, me cogit genitalis viscera terræ
 Rimari, abstrusas propiusq; inquirere causas.

Terræ omni-
 um rerum
 parens.

Terra parens rerum, quas machina continet orbis,
 Intus habet varios, mira ratione, meatus,
 In quibus arcano effingit natura labore,
 Diuersas specie res, & diuersa creata.

Omnis gene-
 ris metalla ex
 terra.

Hinc tot opes, hinc effodiuntur totq; metalla:
 Hinc venit argentū, stannum, plumbūq; chalybsq;:
 Quæq;

Quæq; referre mora est : hinc ferrum prodit, & aurū.
 Sic oleum exesa destillat nobile petra :
 Sic quoque Prusiacis quæ multa leguntur in oris
 Succina, credibile est fluidum illa fuisse bitumen,
 Tunc vbi materies stillans ab origine prima,
 Igne tepebat adhuc, & succo fluxit odoro,
 Quem simul ac mare suscepit, gelida ocyus vnda
 In lapidem & concretam vertit frigore massam :
 Quæ tandem gravitate sua descendit ad inum
 AEquoris : hinc illam exorti cum turbine venti
 Eructat natura maris. Tunc rustica turba
 Hamo instructa leui, nudataq; corpore, saltu
 Littoribus vicina vada intrat, subter & vndas
 Hanc haurit massam, rursusq; ad littora prodit.
 Nec tantum ratio, verùm experientia & ipsa
 Crebra docere potest, obscura nocte per umbras
 Sulfuream velut imis flammam exisse cauernis,
 Montosum ad littus, miseris Sudauisq; propinquū.
 Siue ergo illa fuit projectum è viscere terræ,
 Exesa aut rupis vena interiore bitumen :
 Seu vapor, internum designansq; halitus æstum,
 Communis sensus tamen hoc concedere cogit,
 Non nisi præpinguis generari in viscere terræ,
 Multus vbi vapor, & multus calor æstuat intus,
 Materiam hancq; coquit, coctamq; extrudere certat.

Petrolei or
 rigo.
 Prima opi
 nio.
 De Succ no
 Prusiaco.

Succinū Prufe
 sicum vbi, et
 quando hauri
 riatur.

Montes Suda
 uis in Prusa
 sia, sæpe ex
 halant vapo
 res sulfureos.

DE RANA ET LACERTA:

*Proprietas
Succini natu-
ralis.* Proprietas manet hinc illi: facile arripit ignem,
Et naturali attractu stipulam eminus haurit,
Hæc vbi materies manibus tractata calescit.

*Succinum in-
terdum in a-
renosis locis
inuentum sed
non ibi geni-
tum.* At quod arenosa in tellure Electra reperta
Nonnulli referunt: in agris Germanidos oræ
Fossa quoq; interdum: hæc preciosi muneris instar
Fortè quis infodit belli flagrante tumultu.

*Montes Ge-
dânenses in-
ter Habum,
Mare, et Ictu-
lam, olim non
fuerunt.* Illa autem tumidis procul arbitror acta procellis
Ad loca, quæ quodã mare erant, nunc campus apertus.
Verùm esto: inuenias terra Germanide Naphtam,
(Sed non inuenies) quæras siccisq; in arenis:

*Altera opi-
nio.* Non tamen hanc gustu, forma, virtute, colore,
Aequiparare queas isti, quam continet æquor,
Aequor in Arctoïis quod Prussos alluit oris.
Nunc si displiceat terra aut è monte cauato,

*De Succino
Prussiaco.* Littoribus vicino, tale exire bitumen,
Inde mari iniectum solida indurescere massa,
Ad fundum maris arcanas bullire Scatebras
Pone, vel æquoreis sub rupibus affere easdem,
Arcano pinguem intus Naphtam agitare calore:
Ipsis quæ tandem ebullit protrusa scatebris,
Et protrusa statim gelidis durefcit ab vndis.

*Conclusio.
De origine
Succini Pruf-
siaci.* Ergo maris fundo hanc liquidè scrutamur in imo,
Alterutrum ex illis certum & verum esse duobus,
Non sum animi dubius. Sed qua ratione, modoq; ;

Besti-

SŪCCINO PRVSSIACO INSITIS.

Bestiola hæc intrent pellucida Succina multa,
 Dicere difficile est. Si summis innatat vndis
 Naphta recens, & adhuc fluidus liquor, appetere illū,
 Credibile est & apem, paruumq; volatile muscam.
 Littus in extremum sin Naphtam vena rejectet,
 Margine in extremo glomeratur paruula quæq;
 Bestiola, & tali succo oblectatur odoro.
 Ast simul aduenit cumulo præruptus aquæ mons,
 Obruit has omnes, & littore lambit ab alto.
 Sic in viscosum illapsum reptile bitumen,
 Hæret, & inflexa, raptu (velut arbitror) vndæ
 Materia, simili super affusoué liquore,
 Voluitur in præceps, cauea tumulatur & ista.
 Res patet exemplo. Nam quædam ingentia Naphtæ
 Frustra videre licet, quibus vnda includitur intus,
 Huc illuc refluens: crescitq; vbi Delia, crescit
 Intus aqua: haud vnq̄ penitusq; absimitur intus.
 Ergo aliquis casus succo isti fortè fluenti,
 Hanc infudit aquam, massæ inuoluitq; cauata.
 At quòd non vnda exiccetur, res ea mira.
 Sive quòd Electrum putredine prorsus ab omni
 Immune, inclusa in sese incorrupta referuet:
 Sive sit haud vulgaris aqua, at quæ forsitan huius
 Participet causam Naphtæ, arcaniq; fluoris,
 Quicquid id est, certè non est sine numine Diuūm.

*Causa exter-
 na quomodo
 reptilia ali-
 qua aut vola-
 tilia Succino
 oblini possint.*

*Probatio per
 exempla.*

*Succinum nō
 admittit pu-
 trefactionem,*

Hæc.

Haecenus externæ per quas animalcula parua
Hæc intrare queant pellucida Succina, causæ.

Causæ inter=
næ, quomodo
reptilia ali=
qua aut vola=
tilia, aliq;
Succino in=
sint.

Generatio va=
ria, in terra
& extra ter=
ram.

Vnius corrup=
tio est alte=
rius genera=
tio.

Tertia con=
iectura de ijs
quæ in Succ=
ino apparent

Sin magis aridet sententia, forsan in imis
Visceribus terræ perfectè hæc omnia nasci,
Naturam arcana statuas virtute creare,
Res intus varias. Sic quando Eruca putrescit,
Papilio vernam pinnis emergit in auram,
Cumq; æstate perit. Putrefacto viscere Tauri
Florilegæ nascuntur apes: Spinæ eq; medulla
Exoritur serpens, homo quando putrescit humatus,
Crabroq; fertur equi putrefacto è viscere nasci.

Sed quid in his moror exemplis? hoc occidit, illud
Exoritur rursus: vnus corruptio & entis,
Alterius noua fit versa generatio forma.
Non igitur dubium, gremio telluris in imo
Esse vias aliquas, sparsasq; hinc inde cauernas,
In quibus effingit putredo animalcula parua,
Quæ loca si tangant tepidis vicina scatebris,
In quæis Naphta recens generatur, & é quibus exit,
Illam adeunt facilè, & facilè inuoluuntur in illa:
Solamenq; mali tumulo conduntur odoro.

Tertia restat adhuc, grauis hæc & opinio restat,
Quæq; suis firmis innititur argumentis:
Fingere naturam tantùm has per Succina formas,
Cœlitus impressos, & inanes esse colores,

Quos

Quos plenum formis cœlum naturaq; fingunt.
 Quotquot enim in partes massam secuere minutas,
 Rem perscrutati, vestigia nulla, nec vllas
 Reliquias potuere vllius cernere membri,
 Sed solidum videre intusq; extraq; bitumen.
 Sic lapides nigri fossi in Germanide terra,
 Per medium dissecti, intus (mirabile visu)
 Sæpe repræsentant natiui squamea piscis
 Terga: sed hæc credunt impressas esse figuras.
 Me tamen hîc dubiæ torquet sententia mentis,
 Dum cruor ille intus pressæ sub ventre Lacertæ,
 Est visus fluere, & sese hinc atq; inde mouere:
 Apparetq; intus spatium restare fluoris.
 Sic & aqua in medio Electro quæ fluctuat intus,
 Efficit, vt dubius sensa in contraria ducar.
 Quid si ea sit Naphtæ (neq; enim vis illius omnis
 Nota sat est) virtus? vt dum calet, atq;prehendit
 Bestiolas tales, ceu Sol tenuissîma quæq;,
 Atq; atomos transit: sic se transfundat in illas,
 Arcana virtute sua, arcanoq; calore:
 Transmutetq; potest quicquid putredine obire,
 Actantum restet de corpore inanis imago:
 Cætera at in solidum conuersa abeant Electrum.
 In noua mutatas sic dicunt corpora formas.

Experimentorum exempla.

In fodinis metallicis Minus sensibus reperiuntur lapides qui dissecti repræsentant genuinam piscium figuram.

Questio de transformatione vnius substantiæ in aliam, forma manente.

Questio de
Diluuio &
submersione
totius Mundi.

Sic quoq; quando olim cœlesti numine laeso,
Totus erat mundus vastis submersus in vndis,
In tanto Pelago, tantoq; in turbine aquarum,
Cum foret haud aliud visum nisi Pontus & aër,
Credibile est montes, cum montibus oppida, & arcès
Sede fuisse sua moras sursum, atq; deorsum.
Atq; ita congeries rerum reuoluta remansit,
Ad quem pulsa locum fuit: & sic credere fas est,
Disiectos inter montes, & saxa, & arenas,
Collisum piscem lapidi impressisse figuram,
Inq; aliud corpus forma transisse manentē.

Circa Leopo=
lim in Russia
multa reperi=
untur in ter=
ra, quasi arte
facta.

Sic sita Russiacis peramaena Leopolis oris,
Non procul à sese, effosa tellure repertas
Vidit sæpe ollas, patinas, curuosq; Lebetes,
Arte velut Figuli factos. Argilla sed olim
Quæ fuit, in lapidis naturam versa putatur.
Aut ergo hæc rerum genitrix natura creauit,
Aut Chaos æquoreum terra contextit operta,
Quæ quondam fuerant hominum collecta supellex.
Insita sunt sed enim gremio telluris in imo
Omnia, quæ mundi diuersus postulat vsus.

Diuersus res
gionum tra=
tus diuersa
generat.

Diuerso at Cœli tractu, diuersa creantur:
Sic quoq; dum vallo Zamoscia cingitur alto,
Res mira, effossa triplicem tellure videri

SUCCINO PRUSSIAECO INSITIS.

Materiem, Calcis, Saxi, Argillæq; tenacis,
 Quæ tria subsequitur tandem fundo vnda sub imo.
 Quatuor his à se secretis arte magistra,
 Aeternum & magni monumentum insigne laboris
 Surget, eritq; suis murus circumfluis vndis.
 Hoc opus in patrijs Zamoscus erigit oris,
 Nulla dies vnquam memori quod supprimeat æuo.

Constitutio
 terre Zamos-
 sciens.

Quin etiam nostro fama est memorabilis æuo,
 Pannoniæ in terris vndas extare scatentes,
 In quibus intinctum ferrum, stannumûe, repentè
 Vertitur in Cupri naturam: fit quoq; cuprum:
 Atq; hîc materiæ simul & conuersio formæ est.
 Et quid adhuc obstat, cur non ego Succina credam
 Vi quadam arcana rem transmutare prehensam
 In sese? inq; sui naturam glutinis, ipsa
 Forma haud mutata? Sic Rana accessit vt olim,
 Succosæ scatebræ veritum temeraria ad antrum,
 Fortè superfuso correpta bitumine inhæsit,
 Versaq; in Electrum est: ac tantum forma remansit;
 Et nihil è Rana nisi posthuma restat imago.
 Illa tamen tumulo hoc simulat se viuere odoro,
 Distorquetq; oculos, atque ora loquacia, guttur
 Sufflat hians, ventrem gradiendo portat obæsum,

Scatebræ
 quedam vnde
 garice trans-
 mutant ferro
 rum in Cup-
 rum.

Rana & Lac-
 certe trans-
 mutatio in
 verum Succina
 num forma
 manenti.

DE RANA ET LACERTA:

Et conatur adhuc (sed frustra) exire sub auras.

Naphta vetat; vetat ipsa rei conuersio facta.

De Rana &
Lacerta vna
et eadem opi-
nio.

Atque hæc Electri de Rana: deque Lacerta:
Nam quæ sunt Ranæ, sunt hæc quoque scripta Lacertæ:
Ambarum est eadem ratio: ambas res habet vna.
Vna materia, & Naphta tumulantur eadem.

Disputatio de
Rana & La-
certa Acade-
micorum mo-
re instituta.

Sed quia consensit Scriptorum nemo priorum,
Tantaque naturæ arcana indiscussa videmus,
Et certant Physici, & palmam tulit antea nemo:
In medio hæc alijs quoque discutienda relinquam,
Non secus ac nil decidens Academicus autor,
Inuenit, & dubitat, cuncta & suspensa relinquit.

Apostrophe
ad Ranam &
Lacertam.

Bestiolæ viles, generatio putrida, & inter
Omnia, quæ reprant, vilissima, quas mihi grates
Reddetis rursus? dum vos, vestrumque sepulchrum,
Carmine viuaci ventura ad secula mitto?

Non ego dona peto: nec enim dare dona potestis:
Res faciles, iustasque aliquas rogo. Tangite nunquam

Retitio à Ra-
nis:

Meque measque domos: hortum mihi linquite totum,
Immunem à vobis: piscinis, fontibus, vndis,
Vos excludo meis: procul hinc discedite Ranæ.

Limitibus vestris contentæ estote, paludes

Ranarum na-
tura:

Intrate, inque lacus limosos, inque palustres

Ite

Ite cateruatim cannas: stridentibus aptæ
 Sunt Ranis cannae. Quod si quis forsitan extet,
 Qui sinuans sese tremulae de more Lacertae,
 Serpit in obliquum, atq; à tergo sibila stringit
 Ora, bonos contra, nil quicq̃ tale merentes:
 Aut struit insidias, occultatq; ore venenum,
 Aut Marte insignes, & claros arte, remordet:
 Certatim hunc contra glomeratae insurgite Ranæ,
 Atq; hostem talem vestra prosternite pugna.
 Sunt vobis animi, sunt labra minantia labris,
 Morsibus os, vngues canibus carpentibus apti.
 Testis Aristophanes Scriptor Comædus; & ipse
 Mæonides testis; cecinit qui prælia vestra.
 Inijcite arma humeris: galea caput, at latus ense
 Cingite: deinde ocreis cochleatis addite calcar,
 Vnaq; in alterius tergo portata, equitate.
 Tum læua Clypeū, & longā hastam intendite dextra:
 Pandite stridula labra, resoluite garrula & ora,
 Inq; pares vobis paribus consurgite linguis:
 Et stridetis enim Ranæ, & garrire potestis.
 At pietate graues, expertos Martis & artis,
 Aonijq; Chori studiosos linquite cœtus.
 Sic vnam è vobis Electro contumulatam
 Qui cecini Ranam, & celebraui tale Sepulchrum,
 Quale solet toto reperiri rarius orbe,

Aristophanis
 Ranae.
 Homeri pugna
 Ranae
 rum.

DE RANA ET LACERTA:

Virtutes Succini. Virtutem Electri paucis quoq; versibus addam.

cini. Maxima in Electro virtus est insita, visq;.

*Oleum Succini cathar-
rosi & ver-* Namque oleum ex isto stillatur nobile succo,
niginosis vitile Auxilium varijs morbis, medicinaque præsens.

Si te discruciant gelidi sine fine catharri,
Illine gutta olei caput alto in vertice, sistet
Paulatim exiccans, fluxus absumet & ipsos.

*Rotule Sa-
charicū Suc-
cini oleo.* Sic Sachari rotulis de simplice more paratis,
Si ternæ (neq; enim Sachari plus libra requirit)

Guttæ inspergantur, permultum roboris addunt
Languidulo cerebro. Vertigo crebra rotatum
Cui caput infestat, rotulis se recreet istis.

Discutiunt etenim, incidunt, flatusq; repellunt,
Atq; vetant ne quid possit putredo nocere
Visceribus naturæ internis, spiritibusque.

*Fumus Succini obstructio-
nibus Cerebri
vtilis.* Quòd si ipsam accendas massam, fumumq; suauem
Naribus excipias, aperiri crede meatus
Obstructi cerebri. Massa contusus ab ista

*Puluis Succini
pregnantibus
mulieribus
conducibilis.* Puluis, & epotus grauidis insigne leuamen
Matribus esse solet: nam partum promouet ipsum.

Sunt plures laudes succi huius, pluraque dona,
Quæ nunc prætereo, & Medicis referenda relinquo.


Hæc ego dum veni populosam nuper in Urbem
Cracouiam, bifido quam præterit Istula flexu,
Iudicio alterius saluo, excudenda putauit.

Nunc

Nunc vos ingenua præstantes arte Polonos
 Quæis amor est patriæ, quibus ocia pluraque restant,
 Quàm mihi, qui varias huc illuc mittor in oras,
 Inuito, vt rerum occasus scrutemini & ortus,
 Cur sale concreti Velicenses vndique montes,
 Tam longo tractu, & vasto pandantur hiatu?
 Dum Sal tot seclis homines rimantur, & orbem
 Penè nouum ædificant, suffosso monte, minorem;
 Nec finem inueniunt. Tanto se robore miscet,
 Spiritus intus agens, naturæque alma facultas.
 Maiestas veneranda loco: vix grandius extat
 Mundo miraculum, cœlesti numine plenum.

Apostrophe
 ad excitanda
 ingenia vt de
 causis salisfo-
 dinarum Cra-
 couiensium
 naturalibus
 disquirant.

Salis fodinæ
 Cracouiensis
 miraculosæ.



DE CERTAMINE INTER UR-
 sum & Aprum, in quo Aper victus occubuit
 Anno 1592. Mense Decembri.

DVM Nix alta iacet glacialis tempore Brumæ,
 Vrsus in abstruso latitabat maximus antro.
 Hic hyemis partem speluncis transigit atris,
 Immotusque loco, plantarum extrema suarum
 Sugit, & hunc illi victum natura ministrat,
 Mense quoad Martis liquefacta calore cadat nix,

Vrsi natura
 tempore hye-
 mis.

Sylvarumq; comas, & tectas detegat herbas :
 Tunc vrsus rursus Spelunca prodit ab alta,
 Et victum gaudet sub aperto quærere cælo-

*Aper casu ad
 antrum Vrsi
 peruenit.*

Tale igitur, casu, cum Sus syluestris ad antrum,
 Liuonum in syluis vbi Kuia propinquat Ouesto,
 Peruenisset, humum solito de more momordit,
 Disiecitq; niuem, & gratam sibi quæsiit escam.

*Vrsus contra
 Aprum egre-
 ditur.*

Vrsus in assueta requie turbatus ab Apro,
 Non tulit hoc : vastoq; foràs egressus ab antro,
 Fertur Aprū contrà : & magnº magnū impetit hostē,

*Pugna inter
 Vrsum & A-
 prum,*

Mole valens Vrsus, membrisq; ingentibus : alter
 Dente potens longè extante, oris parte ab vtraq;.
 Acris & ambiguo gliscit certamine pugna
 Mutua : sparsa pedum motu nix, impedit ambos,
 Nec secus ac campo certatur puluerulento.

Nā modo Aper dēte, & magno impete fertur in hostē,
 Et tanquam facili in gyrum conuersus habena,
 Se rotat huc atq; huc, aditum quæritq; nocendi.

Mox at vbi sese altas Vrsus tollit in anras,
 Ingrediturq; bipes, dentatum & circuit hostem
 Callidus, obseruans qua possit vincere parte,
 Tollit se arrectum quoq; Sus syluestris in alta
 Saltibus, & dentes huc illuc vibrat acutos.

*Vrsus Aprum
 fatigatū com-
 plexu stran-
 gulat.*

At tandem vt nimijs gyris, & saltibus, Aprum
 Esse fatigatum videt Vrsus, tergaq; dantem

In terram pedibus fixis, & corpore prono,
 Occupat huic tergum, raptumque prioribus altè
 Tollit humo pedibus, portatq; , & fortiter angit
 Pectus Apri in nodum constringens, donec in auras
 Elisos fauces multo cum sanguine fudit.
 Tali olim amplexu manuum Herculis, occidit atrox
 Cacus, Auentinæ timor atque infamia syluæ.

Sic etiam Augusti quondam Electoris in Aula,
 Dum varijs proceres spectaclis rædia fallunt,
 Pugna ferè similis visa est: sed dispare casu.
 Nam Leo magnanimus dum fortè pugnat in Vrsum,
 Supra Vrsum saliens immania tergaprehendit,
 Et dorsi spinam rictu discersit hianti:
 Sed simul ac tergo decussus decedit alto,
 Vrsus in extremo positus discrimine vitæ,
 Ante suam mortem ad pugnam redit, atq; Leonem
 Corripit in nodum complexus, & angit inhærens,
 Spiramenta animæ dum fracto in gutture clausit.
 Sic vrsus magno moriens animam abstulit hosti:
 Sic cecidit Leo: sed cecidit simul Vrsus & ingens.

At cõtra in pugna hac, victo Apro maximus Vrsus
 Exultat victor: portatque ingentia membra,
 More hominis gradiens bipes, Aprum deniq; cæsum
 Non procul à spacio certaminis in niue condit.
 Hinc abit, atq; aliud syluis sibi quærit in altis

D. Augustus
 olim Elector
 Saxonie Vrsu-
 sum cum Le-
 one commisit.

Vrsus lethæ-
 liter vulnera-
 tus Leonem
 cõplexu strã-
 gulat.

Vrsus Apru-
 strangulatum
 in niue recon-
 dit & abit.

Vrsi callidi-
 tas.

Tu-

Tutius hospitium, quod semita nulla viæq;
 Inueniant, nec quod venator possit adire.
 Namq; loco motus semel, illud deserit antrum
 Callidus, obseruans ne quis vestigia pressa,
 Insidias struat huic medioq; occidat in antro.

*Aper casus
 inuentus.*

Hæc meus vt vidit quidam de montibus altis,
 Vectus Equo seruus, præda gauisus opima
 Aduolat, atq; niuis congestum mole sepulchrum
 Disijcit, & magnum, quod adhuc à cæde tepebat,
 Tollit Apri corpus, meaq; intra tecta reportat.

*Caro Aprina
 qualis sit.*

Grates Vrsetibi, pro me certamina tanta,
 Quando peregisti, atq; epularum lauta parasti
 Fercla mihi. En coctis pariter nunc vescor, & asis
 Carnibus, illius magni Apri, qui mihi nuper
 Vastauit fundos, & largos frugis acernos.
 Vt caro distincta est tenui pinguedine sparsa?
 Mollis, & in gustu suavis? Caro talis inesse
 Nulla solet Porcis, quos cura saginat herilis.
 Certè Aper, apparet, te forte Siligine tantum
 In campis vesci: in syluis radicibus, atq;
 Herbarum folijs, & odoris caulibus uti.

*Caro Aprina
 debili Ven=
 triculo no=
 xia.*

Abstineat tamen, exiguo te sumat & vsu,
 Cuius iners stomachus sumptas malè digerit escas.
 Sic video Medicos præscribere. Prisca sed ætas,
 Aprum præcipuis lautum numerauit in escis:

Tum

Tum quod Aper rarus, decoret conuiuia rara,
 Tum quod Aprina caro benè cocta, asperlaq; vino
 (Si modicè sumas) benè nutriat. Omnia in vsu
 Sic bona, sic mala sunt: in abusu pessima cuncta.

Hinc vates, Satyra, luxum castigat, acerba,
 Romulidumq; gulam perstringit, dum sibi totos
 Ponit Apros, animal propter conuiuia natum.
 Crudum alter stomacho Pauonè in Balnea portans,
 Naturæ ignarus, mortem inter prandia cænat.

*Iuuenalis
 Sat. 1.*

At cui spissus inest concussio in corpore sanguis,
 Aut cui Pleuritis latus imum pungit acuta,
 In modico potu rasuram dentis Aprini
 Sumat: vterq; æger magnam sciet inde medelam.
 Talis enim rasura coagula sanguinis, imo
 Corpore dissoluit, lateris lenitque dolores.
 Testes sunt Medici: atq; ipsa experientia testis.

*Experimen-
 tum contra
 coagulatum
 sanguinem &
 Pleuritidem.*

Quicquid Aper de te Medicorum sentiat ordo,
 Res benè nunc cecidit, cadat & sic sapius opto:
 Scilicet ingenti quod nuper stratus ab Vrso,
 Tecta mea intrasti comedendum teq; dedisti.

Vrse tibi rursum grates ago: copia quod si
 Fortè tui dabitur mihi: dulces tunc tibi saltem
 Vrse pedum plantas abscindam: haud suauior illis
 Est cibus: his vescar, reliquam carnemq; relinquam.

*Vrse pedum
 plantæ esu
 suauissima.*

Inde

DE CERT. INTER VRSVM ET APRVM

Inde tibi toto detractam corpore pellem,
Quando hyeme externas proficisci cogar in oras,
Inuoluam pedibus, frigusque hac pelle repellam :
Vrse vale interea, mihi plures offer & Apros.

F I N I S.

